



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XXXIII. De sanitate, quam in se miraculosè expertus est Dn. Philippus
Episcopus Eystettensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Lipsana sanctæ
VValpurgis in
altari condū-
tur.

in altari publico eiusdem Monasterij cau-
tè ac reuerenter præfatus Antistes recondi-
dit: vbi miracula vsq; in hodiernum diem
continuata feliciter crebescunt. Nam de
membris eius virgineis, maxime tamen pe-
ctoralibus, sacrum emanat oleum. quod
gratia Dei, & intercessione B. VValpurgæ
Virginis cæcos illuminat, surdos audire fa-
cit, & gressum claudis reddit, cunctisq; de-
bilibus optatum effectum deuotè petenti-
bus misericorditer indulget.

Ex quibus fluit
oleum.

CAPVT XXXIII.

*De sanitate, quam in se miraculosè exper-
tus est Dn. Philippus Episcopus
Eystettensis.*

Hanc etiam gratiam curationis ipsi
experti sumus. Nam graui infirmita-
te ægrotâtes ad excidium vitæ peruenimus;
& rememorantes gratiam, quam B. VValp-
urga suis dilectoribus indefinenter osten-
dit, præcepimus de oleo sacro sanctæ suæ
emanationis nobis copiosius afferri, & de-
sidera.

Philippus ager
bibit oleum
VValpurgis.

siderabili haustu phialam plenam ebibi-
 mus, orantes in hæc verba. *B. VValpurgis* Precatio Phi-
Virgo, ob reuerentiam B. VVillibaldi fratris lippi.
tui dilectissimi, cuius successor indignus sum
ego Philippus peccator; interpella pro me ad
Dominum, pro condonatione peccatorum,
meorum, & ut respirem à gravamine huius
egritudinis, ad laudem Dei omnipotentis, &
intemeratæ matris eius Virginis Mariae. Ut
 quid plura? eadem die * creticauimus; & * creticauimus
 breui post in tempore, sanitati omnimodè Recuperat sa-
 restituti sumus. nitatem.

Hoc quoque sciendum, quod hora ce-
 lebrationis Missarum, cùm Sacramentum
 corporis & sanguinis Iesu Christi in altari
 conficitur, in quo recondita est, frequen-
 tius, nec non vberius oleum de sacro cor-
 pore eius distillat; vnde hæc hora pro rece- Memorabilia
 ptione eiusdem olei diligentissimè obser- de oleo S. VVal-
 uatur: & si phialæ, in quibus sacrum oleum burgæ.
 recipiendum est, non directè & perpendi-
 culariter destillationi supponantur, guttæ
 eiusdem olei sibi cohærent, dependentes
 ad modum botri, vel faui mellis, nequa-
 P 2 quam

quam in alium locum decidētes. Sed postquam negligentia corrigitur, & vasa, in quibus mundè sacrum oleum recipi debet, destillationi aptantur, eisdem sine omni cooperatione illabitur; per quod aperte mōstratur, vt in vasa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vasis omnino se præferuat. Et sæpe compertum est, quod receptum etiam in vase mundo, si immundè vel irreuerenter teneatur, vel ad loca, vbi peccati illecebræ perpetrari consueuerunt, deportetur, omnino euanescit; vel per orificium vasis nequaquam ad effectum sanationis egreditur.

CAPVT XXXIV.

De oleo, quod per annum steterat, rursus manante.

IX scriptis etiam collegimus, & certa relatione fide dignorum intelleximus, quòd ciuitas Eystettensis, vnà cum tota Diœcesi Ecclesiastico interdicto quodam tempore supposita fuerat, propter quasdam damnosas iniurias, quas Episcopus,

Tempore interdicti non fluxit oleum.